



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Sessio Secvnda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

solemne votivum de Spiritu sancto cantandum perrexit. Sub Sacro, generalis erat totius Cleri, ex manibus Illustrissimi, communio, stolis rubris a Sacerdotibus de more assumptis.

Finito Sacro, & depositis paramentis Missæ, assumpsit Illustrissima Sua Celsitudo Pluriviale auriophrygiatum; ac in celebrandâ Synodo, juxta præscriptum Synodi quintæ Osnabrugensis, processit.

Lectò Decreto, per Illustrissimam Suam Celsitudinem Synodum præsentem aperiendam esse, ministri Synodales iidem, qui in priori Synodo, nominati fuerunt. Quibus, in locis suis, confidentibus, & accusatâ, per Promotores, absentium contumaciâ, reproduxit Synodi Secretarius literas citationis ad Synodum, cum protestatione, eas sufficienter intimatas esse, ac idcirco absentium excusationes hac ex causa annullandas. Prælegit deinde Catalogum Cleri, eo ordine, prout in Synodo majori Osnabrugensi de anno MDCXXVIII habetur, nullis omnino Parochiis omissis, sub cuiuscunque etiam

ditione situaris. Subsecuta deinde fuit Concio Synodalis, habita ab ipsamet Illustrissima Sua Celsitudine ad integræ horæ spatium, cum magno auditorum fructu. Et quoniam, hisce præviis, Statuta Synodalia, pro exigentia status & disciplina Ecclesiasticæ confecta, publicari & prælegi consueverunt; Illustrissima vero Sua Celsitudo dolenter comperit, ea, quæ prioribus Synodis Decreta fuerant, à nonnullis non observari, multitudine etiam Decretorum, quantum fieri potuit, vitandam judicavit: hinc clementissime demandatum fuit Secretario Synodi, ut, quæ in duabus prioribus ultimis Synodis fuere promulgata, denuo pro majori Cleri observantia promulget. Cumque ad Decretum sextum, de Professione fidei juxta Concilium Tridentinum in Synodo faciendâ, perventum fuisset, omnes & singuli dictam professionem, qui antehac eandem in Synodo nondum præstiterant, emisissent; & reliqua omnia, ut in prima Sessione Synodi quintæ, peracta fuerunt.

SESSIO SECVNDA.

HOrâ primâ cum dimidiâ post meridiem, datum est signum ad Completorium. interrim denuo, majori campanâ, facta compulsatio ad Sessionem Synodalem, per medium horæ spatium. Horâ secundâ processit Illustrissimus ad Ecclesiam; quem Capitulum Cathedrale ad fores Ecclesiæ expectavit; & posteaquam Illustrissima Sua Celsitudo, Ecclesiam ingredienti, aspergillum à Domino Præposito porrectum esset, in hac Sessione, uti in priori, processum fuit. Cum porro, præviis caerimoniis juxta dispositionem & præscriptum Pontificalis, locum Synodalem omnes ascendissent, Illustrissima Sua Celsitudo denuo, per horam, dixit ad Clerum. Finito sermone, prælecta adhuc residua Decreta, in duabus prioribus Synodis lata; reliquaque omnia ut in Synodo quinta, cum indictione proxime, die octava Octobris, labentis anni, habendæ, peracta fuerunt; & præsens Synodus, cum solitis caerimoniis & acclamatione, in Domino dimissa fuit.

Et quia ego Ioannes Brogber, I. V. L. & Collegiatæ Ecclesiæ SS. Joannis Baptistæ & Euangelistæ Ratisbonæ Canonicus, & Pastor in Rimschloe, à supra memorato Reverendissimo & Illustrissimo Domino Præsidente, in Actuarium hujus Sacræ Synodi deputatus fui, Decretorum Synodalium promulgationi reliquisque in ea pertractatis interfui; idcirco eisdem Decretis, in fidem eorundem, propria manu subscripsi. Acta sunt hæc, anno, à partu Virgineo, MDCCLII, Pontificatus SS. Domini nostri Innocentii X, octavo; diebus, mense & loco, quibus supra; præsentibus Venerabilibus ac Eruditis Dominis, Antonio Sollinger & Nicolao Schaberg, Cathedralis Ecclesiæ Osnabrugensis Vicariis, ac respectivè Sacristano & Notario publico, testibus, ad hoc specialiter requisiti, & fide dignis.

Ioannes Brogber I. V. L. Capellanus major Illustrissimi Osnabrugensis, Pastor in Rimschloe, & Actuarius causarum Ecclesiasticarum, ad hoc specialiter deputatus, subscripsit.